IN

MAJESTATEM

MISERICORDIAM ET MUNIFICENTIAM, VERBO,

BONITATEM PRINCIPIS,

IN PATRIAM BENIFICENTISSIMI,

FRIDERICI QVINTI,

DANIÆ, NORVEGIÆ &c. &c.

REGIS OPTIMI

ODE ENCOMIASTICA

PER

GUNNAREM PAULI,
Eccl. Hiardar-Holtensis in Islandia Occident. Pastorem
& loci Præpositum.

Sæpius carmen volui dicare
Laudibus REGIS, cui paret Arctos,
Optimi, qvo se merito beatam
Dania jactat;

Proximi Divis, hominum Supremi,
Regibus cunctis Melioris, atqve
Principum Gemmæ, puta FRIDERICI
Nomine QVINTI.

Cujus ad Nomen salit omnis ætas,
Cujus ad Numen Boreas movetur,
Cujus ad Lumen tenebrosa splendet
Ultima Thule.

*

Nec

Nec tamen eunctas voluit, choroebo
Stultior laudes, numero carentes,
Maximi summas celebrare Regis
Nostra Thalia.

Icarus non sum vitreis daturus
Fluctibus nomen; Phaëthontis omnes
Improbos ausus manet adprobantes
Exitus idem.

Illa sed tantum pietas volentem,
Qvæ sine exemplo patriæ Benignus
Præstitit nostræ, memorare grata
Mente jubebat.

Laudibus tantis nimium sed impar,
Ponderis sensu gravioris Ætna (Hecla)
Sæpius, tentans aliqvid, refugit
Nostra Camena.

Qvippe qvid magnis sapienter Ipse
Possit in rebus, Catus, & benignè,
Tu mihi testis locuples, relucens
Temporis index.

Magnus in parvis Deus est & audit:
Cujus exemplum seqvitur MONARCHA,
Magnus in parvis, pariterque magnis,
Numinis instar.

Si nocens aurum meruit vocari,
Noxium si qvod fuit aut metallum;
Te nihil rerum pretiosiarum
Mitius exstat.

Sontibus passim nimium pepercit,
Et reos culpa vacuos peregit,
Jura pervertens hominum Deumque
Fulgida massa.

Tu nihil rerum violas bonarum,
Et tamen sontes, veniam haud merentes
Lenis absolvis Themidos sed absqve
Numine læso.

Mole

Mole sed qvantum major eſt ſtupendis
Molibus Septem, qvibus orbis olim
Claruit tantum ſuperabis omnes
Laude perenni.

Aureus qvanto potior metallis
Fulgidus ſplendor, meliore fama
Tu clues tanto, ſuperans honore
Quodlibet aurum.

Aureas bullas crepet orbis errans:
Aureum vellus celebrent Poëtæ:
Aureum teſtem FRIDERICIANÆ
Gratiæ amabo.

Aureos montes mihi polliceri
Si velit qvisqvam nihil æſtimabo;
Aura ſed fulgens FRIDERICIANI
Me juvet auri.

Qværat inſcriptos, varii coloris,
Fertiles campos peragrans & hortos,
Fulgidos flores, ovium magiſter
Nomina Regum.

Tu mihi Nomen FRIDERICI amandum,
Tu mihi Numen, faciemque monſtras:
Numen Auguſtum, & faciem, merum quæ
Spirat amorem.

Fallor, an ſolus FRIDERICUS aurum
Æſtimat rectè, ſapiens amando?
Fallor, an ſolus FRIDERICUS auri eſt
Mitis amore?

Nubium ſi qvid facies Serena,
Triſtibus curis, aliove caſu,
Contrahat Summi qvibus Imperantes
Sæpe premuntur,

Tum tui aſpectu DOMINI memento
(Pellit ut nubes aqvilo Salubris)
Gratiam vultus, radiosqve dulces,
Reddere terris.

Aureâ Phœbus facie recurrens
Aureum tempus Boreæ reducat,
Aureos mores faciles docente
Rege popellos.

REGIS exemplum Borealis oræ
Principes cuncti pariter seqvantur
Lenitas justè sapiens in ipso
Fulgeat auro.

Fulgidi, tellus, genitrix metalli
Qvæ decus tantum geris omnis ævi,
Tanta qvi felix opibus tuis mi-
racula præstat,

Gratiam tantis meritis repende,
Optimo Regum, Patriæ PARENTI,
Largiter fundens rutilantis auri
Divite vena.

Gloria plenus. Saturatus annis,
Omnibus Major, Meliorque, tandem,
Regibus, qvando FRIDERICUS altum
Scandet Olympum,

Ante qvi fidus Domino adfuisti,
Tum, licet qvantum, Dominum seqvêris
Arduus celsi referendus inter
Lumina cœli.

Dumque virtutem docet Ipse Divus
Posteras Felix generationes,
Aureum sidus FRIDERICIANUM
Tempora signet.